

pauciora peccata in eo præcesserint; cum ergo fictio sit unum ex his peccatis, quod illud præcesserit, et cum illo alia multa, non minuit valorem hujus dispositionis, et consequenter neque effectum; et eadem ratione nihil obstabit, quod effectus baptismi non fuerit antea datus, tum quia satis est, quod possit simul dari; tum etiam quia licet esset prius receptus et per peccatum amissus, nihilominus pœnitentia posset habere suum effectum integrum; ergo eundem habere poterit, etiamsi baptismi effectus nunquam fuerit antea receptus. Denique nulla ratio est, ob quam præsens effectus pœnitentiæ pendeat ex præcedente effectu baptismi; habet ergo tunc sacramentum pœnitentiæ totum gratiæ effectum, quem habere potest in homine sic attrito.

19. *Probabilius respondetur ad dubium.* — Tertio, de sacramento baptismi, si teneamus, tantundem operari, recedente fictione, quantum cum simili dispositione operaretur actu existens, consequenter dicendum erit, etiam ipsum dare totum effectum gratiæ, quem dare potest homini sic attrito, quia revera concurrunt ibi omnia necessaria ad illum effectum. Neque enim mihi probatur, quod video ab aliquo excogitari, posse nimirum illam attritionem, licet in se una sit et æqualis simili attritioni ut quatuor, tamen hoc ipso, quod disponit simul ad duo sacramenta, reputari moraliter minorem dispositionem ad singula, quam si ad unum tantum disponderet; nam si hoc esset verum, etiam effectus sacramenti pœnitentiæ esset minuendus, quod non videtur certe probabile. Item si fingamus, aliquem simul et eodem tempore recipere duo sacramenta, v. gr., Eucharistiam et extremam unctionem, quamvis unico devotionis actu ad utrumque se præpararet, plenum utriusque effectum reciperet, non minus, quam si sigillatim diversis temporibus illa sacramenta reciperet cum æquali devotione. Quare ad rationem in contrarium dicendum erit, multitudinem actuum esse quodammodo accidentalem, quando in reliquis est perfectio æqualis et illa pluralitas actuum solum requiritur propter temporis diversitatem. Si autem teneamus, baptismum, recedente fictione, solum conferre minimam gratiam, quam potest dare homini, neque ponenti obicem, neque se positive præparanti ad sacramentum suscipiendum, hoc modo expeditior et verisimilior erit responsio, scilicet hujusmodi gradum gratiæ dari tunc ratione baptismi homini sic attrito, et consequenter, per utrumque sacramentum

simul, minorem gratiam dari cum attritione ut quatuor, quam si utrumque sacramentum receptum fuisset cum simili attritione, quia tunc baptismus majorem gratiam dedisset, quia determinaretur a dispositione et attritione præsentis ad tantum effectum; in casu vero, de quo agimus, attritio illa non concurrat, ut dispositio ad baptismum, determinans effectum ejus, sicut concurrat cum sacramento pœnitentiæ, sed solum ut removens prohibens. Atque hic posterior modus dicendi mihi maxime probatur.

20. *Dubium.* — Secundum dubium est, quomodo hic effectus gratiæ dividendus sit inter hæc duo sacramenta; neutrum enim videtur posse totum hunc gratiæ effectum præbere; nam, ut dixi, major est, quam possit fieri per singula illa sacramenta. Aliunde vero dici etiam non potest, quosdam gradus illius gratiæ fieri ab uno sacramento, et alios ab altero, quia neque designari, aut dividi poterunt hi gradus, neque est ulla ratio, cur hi potius, quam illi fiant ab alterutro sacramento. Dices, priores gradus fieri a sacramento baptismi, quia baptismus est primus omnium sacramentorum; et ita gratia baptismalis esse debet prima omnium. Sed contra hoc est imprimis, quod, licet baptismus sit primus, ratione characteris, non est tamen necesse, ut quoad effectum gratiæ sanctificantis intelligatur ordine naturæ præcedere; alias, quoties homo lapsus per pœnitentiam reparatur, et primam gratiam recipit, deberet præintelligi ordine naturæ, ut recuperans gratiam baptismalem, in qua reliqui gradus gratiæ fundentur, quod valde frivolum est. Deinde, et maxime, quia quilibet gradus gratiæ sufficit ad expellenda omnia peccata mortalia; non potest autem baptismus in casu, de quo agimus, expellere omnia peccata, de quo agimus, expellere omnia peccata, de qua commissa; ergo nec potest solus efficere vel minimum gradum gratiæ. Unde etiam videtur dici non posse, totam illam gratiam fieri ab illis sacramentis ut a causa partiali, tum quia sacramentum ex institutione sua non habet, quod sit causa partialis tantæ gratiæ, sed quod sit in suo genere integra causa instrumentalis minoris gratiæ sibi proportionatæ; tum maxime quia quodlibet illorum sacramentorum per se, ac propria et integra virtute remittit peccatum mortale sibi correspondens; ergo simili modo infundit aliquem gradum gratiæ, per quem tale peccatum tollatur, quia peccatum non tollitur, nisi per

gratiam. Antecedens patet ex institutione horum sacramentorum, et ex communi modo loquendi Theologorum dicentium, peccatum originale remitti per baptismum; peccatum autem fictionis per pœnitentiam, etc.

21. *Responsio.* — Respondeo, non posse convenienter dici, quosdam gradus gratiæ fieri tunc ab uno sacramento, quosdam vero ab alio; neque etiam totam illam gratiam fieri ab uno sacramento, ut ab instrumento totali, altero nihil efficiente, ut satis convincunt rationes factæ. Quare dicendum est, quod ultimo loco est positum, scilicet illa duo sacramenta concurrere per modum unius agentis integri ad illam gratiam producendam, ita ut mutuo se juvent, et totus effectus sit a singulis, a neutro tamen independentem ab alio, sed cum necessaria dependentia ab utroque simul, sive illa dependentia tota sit physica, sive moralis, sive ex utraque mixta; parum enim refert. Neque hoc erit contra, vel præter institutionem talium sacramentorum; nam singula sacramenta habent ex institutione sua virtutem ad præstandum suum effectum gratiæ, vel per se solum, si nullum adsit impedimentum, vel simul cum alio sacramento, si occasio vel necessitas subjecti id requirant; et tunc consequenter habent alia sacramenta ex institutione sua, ut sese possint juvare, et cooperari ad suos effectus, juxta subjecti capacitatem, vel necessitatem. Atque hinc etiam fit, ut, licet unumquodque illorum sacramentorum directe ac per se remittat quædam peccata, in quorum remedium est institutum, tamen de facto in eo casu neutrum eorum remittat aliqua peccata directe, quin concomitanter remittat alia omnia eodem genere causalitatis, seu partialis instrumenti, propter rationem factam, quod omnia hæc peccata sunt connexa, quoad remissionem; et hæc videtur esse communis sententia Theologorum, ut videre licet in Scoto, Paludano, Gabriele, Soto et aliis supra citatis.

SECTIO VI.

Utrum habere effectum recedente fictione sit proprium sacramenti baptismi.

1. *Prima sententia.* — Sacramenta, quæ imprimunt characterem, habent suum effectum recedente fictione. — Hæc quæstio attingit materiam aliorum sacramentorum; et ideo brevissime hic expedienda est, quantum hujus loci necessitas postulat, ut ea complea-

mus, quæ supra disput. 8, sect. 3, huc remisimus. Prima sententia est, hoc esse proprium sacramenti baptismi. Hanc tenet Soto, dist. 6, quæst. 4, art. 8. Fundari potest primo, quia ratio et necessitas baptismi est in hac parte singularis, quia, et est sacramentum, quod iterari non potest, et cujus effectus est simpliciter necessarius ad salutem; quæ duo non reperiuntur simul convenire alicui aliorum sacramentorum. Ex his autem duabus proprietatibus simul sumptis oritur necessitas, ob quam redit effectus baptismi recedente fictione; ergo non est, cur hoc alteri sacramento tribuatur, quia, si iterari potest, subsequens sacramentum sufficit ad effectum, et ita non oportebit, ut sacramentum prius fide susceptum operetur; si autem iterari non potest, tamen non est sacramentum necessarium ad salutem, neque ejus effectus erit necessarius; ergo neque oportebit dari, recedente fictione. Secundo argumentatur Soto, quia baptismus singulari modo est opus Dei, quod nec claves Ecclesiæ requirit, neque dispositionem in suscipiente, per se loquendo; nam institutum est ad remedium originalis peccati, et ad plenissimam indulgentiam et regenerationem filiorum Dei, et ob hæc omnia illi est concessa hæc singularis prærogativa. Tertio, quia August. soli baptismi tribuit hoc privilegium; non est ergo extendendum, cum neque in Scriptura sacra, neque in sanctis Patribus habeamus fundamentum. Unde nec D. Thom. in tota hac tertia parte alteri sacramento tribuit hanc gratiam. Nihilominus contraria opinio probabilior est, quæ brevi inductione sic declaratur. Primo enim verisimilior est omnia sacramenta imprimunt characterem conferre hunc effectum; ita sentit D. Thom. in 4, dist. 4, q. 3, art. 2, quæstione. 3, ad 3; et ibi Palud., quæst. 5, art. 4, et alii, quos refert, et sequitur Covarruv. in cap. Alma mater., 4 part. § 4, n. 13. Et potest probari ratione D. Thom. hic, fundata in characterem, nam licet ipse loquatur de characterem baptismali, tamen ratio potest proportionaliter applicari; nam etiam, qui ordinatur, recipit characterem, quasi formam, qua constituitur sacerdos, ad quam consequitur gratia necessaria ad illud munus convenienter peragendum; sed omnis forma, remoto impedimento, consequitur suum effectum, seu proprietatem sibi consentaneam et connaturalem; neque in hoc opus gratiæ est minus efficax, quam opus naturæ. Atque eadem proportione potest formari ratio de cha-

ractere confirmationis. Sed quia hæc ratio non est in rigore metaphysico intelligenda, nam ut Durandus objicit, character non est forma, aut dispositio necessitans ad gratiam, remoto obice, ideo moraliter sic explicanda est. Nam hæc sacramenta constituunt hominem in quodam statu, a quo retrocedere non potest, quia character, quem imprimunt, inamissibilis est; ergo conveniens institutio eorum postulat, ut ea gratia, quæ ex divina institutione annexa est huic characteri, semper detur, quoties ex parte hominis non fuerit impedimentum, et consequenter, quod reviviscat, etiamsi in principio per fictionem impedita fuerit; probatur consequentia, quia hæc gratia, ut detur per sacramenta, ordinatur ad bonum usum ipsius characteris, seu illius muneris, ad quod homo per characterem destinatur; ergo non fuit expediens, ut homo propter peccatum commissum in susceptione talis sacramenti perpetuo privaretur ea gratia; alioqui oportuisset, vel quod tale sacramentum esset iterabile, ut posset illa gratia obtineri, vel certe, ut esset aliquod aliud remedium ad illam obtinendam, ne homo perpetuo privaretur auxiliis debitibus, ratione sacramenti, ad hujusmodi opus, vel ministerium efficiendum. Unde hæc ratio immediate procedit de gratia sacramentali, seu auxiliante; tamen consequenter etiam probat de gratia sanctificante, quæ per sacramentum datur; tum quia hæc etiam juvat, ut opus, ad quod ordinatur sacramentum, sancte et digne perficiatur; tum etiam quia per sacramenta non datur gratia auxilians, seu sacramentalis, nisi ut conjuncta et quasi radicata in aliqua gratia habituali.

2. Neque contra hanc conclusionem procedunt fundamenta primæ sententiæ; nam prima ratio solum probat, in his sacramentis non esse tantam necessitatem, quanta est in baptismo; non tamen non esse sufficientem rationem et necessitatem, eo modo quo dicitur moraliter necessarium, quod est valde utile, vel conveniens; nam licet gratia horum sacramentorum non sit ad salutem simpliciter necessaria, tamen ad finem horum sacramentorum est quodammodo necessaria moraliter prædicto necessitatis modo; secunda vero ratio nullius est momenti, quia nihil probat eorum, quæ assumit; tertia etiam est inefficax, quia solum fundatur in auctoritate negativa August.; at quamvis August. hoc non dixerit, non tamen negavit; et ex doctrina ejus de baptismo potest hæc amplificatio probabiliter colligi.

3. *Matrimonium et extrema unctio triuunt suum effectum, recedente fictione.* — Secundo hinc infero, idem dicendum esse de sacramenti matrimonii, et extremæ unctionis, quatenus aliquo modo iterari non possunt. Matrimonium enim non potest iterari vivente conjuge per se loquendo; et alioqui constituit hominem in eo statu, in quo valde indiget gratia sacramentali illius sacramenti; non ergo expedit, ut homo perpetuo careat hac gratia propter priorem fictionem; sed magis est consentaneum virtuti tanti sacramenti, ut sicut de se constituit hominem in statu perpetuo et immutabili, vivente utroque conjuge, ita de se semper sufficiat ad dandam gratiam convenientem illi statui, si homo non ponat obicem; ergo propter hanc causam reprobabit effectus hujus sacramenti, recedente fictione; alioqui oporteret illud iterari, saltem propter hanc gratiam consequendam. Similis ratio formari potest de extrema unctione; est enim hoc sacramentum initerabile in eadem ægitudine, eodemque statu illius, et ordinatur præcipue ad præparandum hominem ad exitum hujus vitæ, ut et coram Deo purior egrediatur, et omnes difficultates vincat, quæ in illo articulo occurrere solent. Constituamus ergo hominem morti proximum, qui hoc sacramentum fide recipit, et deinde magis ac magis morti appropinquat; cur ergo hunc privabimus omni spe, ac remedio consequendi gratiam et subsidia hujus sacramenti tam necessaria in tam gravi negotio, tamque arduo periculo? Certe, si homo per pœnitentiam removendo fictionem non posset suscepto sacramento juvari, sine causa esset ita institutum hoc sacramentum, ut non possit in hujusmodi eventu iterum digne suscipi, ad fruendum ejus gratia, et auxiliis; in his ergo sacramentis, quatenus participant initerabilitatem baptismi, et quamdam moralem necessitatem suæ gratiæ ad fines suos obtinendos, verisimile est, habere suos effectus, recedente fictione.

4. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: ergo si eo tempore, quo durat propria necessitas talis effectus, et pro quo iterari non possunt, non tollatur fictio, etiam si postea tollatur, non dabit effectum; ut, verbi causa, gratia sacramenti matrimonii necessaria est durante matrimonio, et pro eo etiam tempore iterari non potest illud sacramentum; finge ergo, aliquem recepisse illud sacramentum fide et non abstulisse fictionem toto tempore, quo duravit matrimonium; postea vero mor-

tuo altero conjuge egisse pœnitentiam; videtur ergo sequi tunc in hujusmodi homine non redire effectum prioris sacramenti, quia jam in eo non est simpliciter initerabile tale sacramentum, et quia in eo jam cessavit illa necessitas; neque illi homini danda est amplius gratia auxilians sacramentalis matrimonii, quia jam desiit esse in tali statu constitutus. Idem fingi potest in extrema unctione, si quis sacramentum illud fide accipiat, nec veram pœnitentiam agat, durante illa ægitudine; postea vero sanitatem recuperet, eumque pœniteat, etc. Respondetur, non esse inconveniens hoc totum concedere, quia conjectura videtur satis probabilis; et saltem videtur ostendere rationem a nobis factam, ex quadam necessitate, et initerabilitate horum sacramentorum desumptam, non procedere in prædictis casibus; ac proinde saltem hoc titulo non oportere, ut tunc reviviscat effectus eorum; an vero alio titulo id affirmari possit, constabit ex dicendis in ultimo puncto. Posset etiam responderi, negando sequelam, quia aliud est, considerare rationem institutionis, aliud institutionem ipsam; ratio ergo ob quam institutum est, ut hæc sacramenta habeant suum effectum, recedente fictione, est illa, quæ tacta est; institutio autem absolute facta est. Unde non oportet, ut in quocumque casu particulari contingat, rationem illam, seu necessitatem cessare, eo ipso cesset effectus sacramenti. Sicut enim in materia de legibus dici solet, cessante in particulari fine vel ratione legis tantum negative, non cessare legis obligationem, quia lex est universalis regula, quæ non excipit, neque considerat hujusmodi particulares eventus, qui sunt per accidens, ita in præsentem dicere possumus, institutionem hanc esse veluti legem quandam, quæ semper habet suam vim et efficaciam, quamvis in particulari cesset ejus ratio, seu necessitas.

5. *Redit effectus pœnitentiæ recedente fictione.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Tertio, de sacramento pœnitentiæ (si aliquando potest dari informe, ita ut verum sacramentum fide recipiatur) verisimilius est, illud habere effectum, recedente fictione, quod docuit aperte D. Thom. loco supra citato ex 4, d. 17; et Durand. ibi quæst. 13, d. 4, quæst. 4; et Palud., dist. 14, quæst. 1, art. 3; et ratio est fere eadem, quæ de baptismo, quoad hoc, quod sicut peccata mortalia ante baptismum commissa non possunt, nisi per baptismum remitti, ita peccata mortalia postea commissa

non possunt remitti, nisi per aliquod sacramentum confessionis. Ex quo certo principio sic argumentor: peccatum mortale fide confessum remitti postea potest per contritionem; et non in voto alterius confessionis ejusdem peccati, quia non tenetur homo illud iterum confiteri; unde, stante contritione, potest habere propositum formale nunquam amplius confitendi illud peccatum; ergo remittitur tale peccatum per ordinem et efficaciam prioris sacramenti; et hoc est incipere habere effectum, recedente fictione; nam si potest remittere peccatum mortale, potest etiam dare gratiam, qua illud remittitur, et procedunt aliæ rationes de baptismo factæ. Quapropter non obstat, quod hoc sacramentum iterari possit, etiam de eodem peccato prius confesso, in quo differt a baptismo; nam ad efficaciam rationis factæ satis est, quod hæc iteratio non est necessaria ad remissionem talis peccati, cum tamen efficacia sacramenti semper sit necessaria; nam hinc evidenter concluditur, necessarium esse, ut prior absolutio possit habere efficaciam, ablato obice, quia, si illa jam esset omnino inefficax, necessarium esset aliam adhibere; et consequenter necessarium foret peccatum iterum confiteri, quia absolutio per se et directe non cadit, nisi in peccatum confessum. Unde non est satis, si dicatur, concomitanter remitti per sequentem absolutionem, tum quia potest ante aliam absolutionem remitti per contritionem, et sine ullo ordine ad sequentem absolutionem; tum etiam quia nullum peccatum mortale remittitur concomitanter, et per accidens per aliquam absolutionem, nisi cum voto seu ordine ad aliam, per quam directe remittatur, ut supra dictum est. Dices: interdum fingi potest casus, in quo confessio sit facta, etiam si sit tantum de venialibus peccatis, ut si quis habeat mortale aliquod quod invincibiliter ignoret, et nullam attritionem illius habeat, sed tantum unius, vel alterius venialis, quod confitetur; tunc ergo non erit necesse, effectum illius sacramenti redire, quia non est necesse, ut illa peccata venialia sic confessa per absolutionem præteritam, vel futuram remittantur, quia sacramentum pœnitentiæ non est medium necessarium ad remissionem venialium. Respondetur hic optime accommodari doctrinam paulo antea datam de institutione sacramenti; esse scilicet veluti generalem legem, quæ non cessat in particulari casu, etiam si negative cesset necessitas, dummodo tollatur contrarius obex.

6. Quarto, de sacramento Eucharistiæ res est valde dubia, quam in propria materia tractabo.

7. Sed circa alia sacramenta supererat hic declarandum, per quid possit tolli fictio, ut suos effectus habere incipiant; tamen hoc, et alia similia dubia ex doctrina data de baptismo possunt facile expediri. Posset autem hic ulterius dubitari, an in aliquo sacramento veteri habeat locum hæc doctrina, scilicet quod suo modo habuerit effectum, recedente fictione; nam D. Thom. in 4, dist. 4, q. 2, art. 4, q. 4, ad 3, hoc tribuit circumcisioni, dicens: *Sicut in baptismo manet character spiritualis, ratione cujus fictus, deposita fictione, effectum baptismi recipit, ita manebat character exterior in circumcisione, quæ hoc idem faciebat.* Sed nunquam hoc D. Thom. docuit in hac 3 part. Unde valde incertum, et contrarium mihi videtur probabilius, suppositis his, quæ supra diximus de modo, quo in circumcisione, et in sacramento legis naturæ gratia dabatur; est enim multum probabile, adultis nullam tunc fuisse datam gratiam ex opere operato, in hujusmodi sacramentis; nec potuisse facere adultum ex attrito contritum, atque adeo non fuisse simpliciter necessaria media ad remissionem peccati, præsertim in adultis, qui poterant et debebant per contritionem sanctificari; non ergo fuit necessarius hic effectus in his sacramentis, quia infantes non poterant esse ficti; adultis vero et sufficiebat et necessaria erat contritio, quod spectat ad mediæ necessitatem; si autem non est necessitas, non est attribuendus talis effectus illis sacramentis, quia in illis non dabatur gratia præter meritum operantis, nisi veluti ex speciali dispensatione ad subveniendum necessitati infantium.

DISPUTATIO XXIX.

DE EFFECTU BAPTISMI SANGUINIS, ET DISPOSITIONE AD ILLUM NECESSARIA.

Posset disputatio hæc in materiam de fortitudine rejici, quoniam hic baptismus sanguinis nihil aliud est, quam martyrium, quod actus est fortitudinis; tamen, quoniam, ut supra vidimus, non quodlibet martyrium habet rationem baptismi sanguinis, sed illud specialiter, quod supplet vicem baptismi aquæ, ideo consideratio martyrii sub hac ratione baptismatis ad hunc locum spectat. Pendet autem ejus cognitio ex virtute et efficacia,

quam martyrium habet ad dandam gratiam, et deficiente baptismate aquæ et flaminis, de quibus et eorum effectibus jam satis dictum est. Hac igitur de causa proponimus hoc loco disputationem præsentem, quæ plurimum etiam conferet ad perfectam intelligentiam eorum, quæ de necessitate baptismi ad salutem consequendam superius tractata sunt; et, ut clarior sit disputatio, dicemus prius de infantibus, postea de adultis.

SECTIO I.

Utrum per baptismum sanguinis possint infantes salvari absque baptismo aquæ.

4. Infantes hoc loco dicuntur, non tam propter ætatem, quam propter carentiam perpetuam usus rationis, sicut in superioribus explicatum est. Atque hinc oritur ratio dubitandi in quæstione proposita; nam baptismus sanguinis includit, vel supponit essentialem ac propriam rationem martyrii; sed absque usu rationis non potest vera ratio martyrii salvari; ergo in his, qui nunquam ratione uti sunt, non potest baptismus sanguinis reperiri; non ergo poterunt per illum salvari absque baptismo aquæ. Minor principalis argumenti patet, quia martyrium est actus virtutis fortitudinis; absque rationis autem usu nullus actus virtutis inveniri potest. Et augetur difficultas, quia alias baptismus aquæ, neque in re, neque in voto esset infantibus necessarius ad salutem; quod videtur esse contra Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, a qua generali regula Scripturæ non licet exceptionem facere absque sufficiente et cogente auctoritate. Sequela patet, quia in hujusmodi infantibus supponitur deesse baptismus aquæ in re susceptus; votum autem in illis esse non potest, quia hoc votum concipitur per proprium actum, seu desiderium, cujus illi sunt incapaces. Nec dici potest, re ipsa per mortem habere hujusmodi votum baptismi aquæ, quatenus et commoriuntur Christo, et suo sanguine tinguntur; hoc enim non satisfacit, tum quia est valde metaphoricum, et in re nulla habitudo ad baptismum aquæ per hæc verba declaratur, sed solum analogæ quædam proportio, seu convenientia; tum etiam quia, cum mors efficiat hominem incapacem baptismi aquæ, non potest includere votum ejus. Quod vero nullum sit sufficiens fundamentum ad prædictam exceptionem faciendam, constat, quia neque in Scriptura

continetur, neque in Ecclesiæ traditione. Prior pars probatur, quia, si contineretur in Scriptura, maxime in illis verbis Christi Domini: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo;* at verba hæc non de infantibus dicuntur, sed de adultis; infantes enim nesciunt confiteri Christum. Posterior pars probatur, quia si Ecclesiæ auctoritas faveret ad hanc exceptionem faciendam, maxime quia Innocentes pueros colit, ut sanctos; sed hoc non cogit, tum quia possunt illi inter sanctos recenseri, quia erant circumcisi, et mortui sunt absque alio peccato, et Ecclesia voluit eos colere, quamvis fortasse non sint sanctiores aliis, in Christi reverentiam et amorem, ob cujus odium illi sunt ab Herode occisi; tum etiam quia licet gratis demus aliquod privilegium fuisse illis parvulis concessum, non est cur extendatur ad omnes alios infantes, præsertim post baptismum aquæ, cujus necessitas nondum erat eo tempore introducta.

2. In hæc quæstione non defuerunt Catholicis, qui, fortasse propter rationes factas, senserunt, parvulos non posse salvari per baptismum sanguinis; ita videtur docere Alex. Alens., 4 p., quæst. 22, memb. 5, art. 1, ubi dicit, baptismum aquæ extensive excedere in effectu baptismum sanguinis, quia pluribus personis prodesse potest, scilicet parvulis et adultis, cum tamen baptismus sanguinis solum prosit adultis. In hanc sententiam inclinat etiam Armachan., lib. 8 de Quæstionibus Armenorum, c. 37, et Adrianus, 4, quæst. ult. de Bap., ad 3. Qui, licet non omnino rem definire audeant, tamen probabile esse censent, Innocentes martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos; et si fortasse aliqui ex eis non fuerant circumcisi, eos etiam non fuisse salvos, sed in peccato originali decessisse. Soto etiam citat Bonaventuram in eadem sententiam, quod baptismus sanguinis non prosit parvulis. Sed ille nihil de hac re aperte locutus est.

3. *Infantes capaces sunt martyrii.* — Dicendum est ergo primo, infantes esse capaces martyrii, seu baptismi sanguinis. Hæc conclusio est mihi certa, neque existimo posse sine temeritate negari. Eam tradit D. Thom. 2. 2, quæst. 124, art. 1, et Quodlib. 6, art. 4; Richar., in 3, d. 4, art. 2, quæst. 3, ubi licet extendit ad illos infantes, qui in uteris matris simul cum matribus interficiuntur. In eadem sententia sunt Scotus, Gabriel, et alii d. 4; Soto, d. 3, art. 11; et bene Cajet. 2. 2,

loco citato; et D. Bonavent. illa d. 4, p. 2, art. 1, quæst. 2, limitat sententiam Alensis dicentis baptismum aquæ pluribus prodesse, quam sanguinis; unde nihil in hoc distinguit inter parvulos et adultos; et probatur præcipue exemplo sanctorum Innocentium, quos martyres fuisse constat, primo ex traditione et sensu Ecclesiæ celebrantis festum eorum, tanquam vere martyrium, propter quod officium martyrum eis recitandum proponit, eosque martyres appellat, tum in collecta, set oratione: *Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, tum in hymno: Salvete flores martyrum, vos prima Christi victima.*

4. Secundo ex Patribus. Cyprian., serm. de Stella et Magis, circa finem: *Tyrannus, inquit, crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat;* et infra: *Ecce parvuli isti, quos inaudita crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito sunt martyres;* et infra: *Ætas nondum habilis ad pugnam, idonea exstitit ad coronam; ut appareret innocentes esse, qui pro Christo necantur, infantia innocens ob nomen ejus occisa est.* Optime Leo Papa, serm. 4 de Epiph.: *Quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.* Et subdit serm. 2: *Ac si jam diceret: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum, nova gloria coronabat infantes.* Ut infra: *Ut disceretur, nihil hominem incapacem esse divini sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrii.* Sic etiam Augustin., lib. 3 de Lib. arb., c. 23, de Innocentibus loquens, dicit: *Eos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia.* Et lib. 2 de Symbolo ad catech., c. 5, et lib. 3, c. 4, dicit, Innocentes martyres testimonium reddidisse innocentiae Christi. Idem, ep. 28 ad Hieron., et serm. 8 de Sanctis, cum sequentibus, qui sunt de Innocentibus. Origenes etiam, homil. 3 in varios locos Evangelii, hujus antiquæ traditionis meminit, et hunc in modum sensum Ecclesiæ interpretatur dicens: *Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur secundum ordinem integrum sanctorum, ut primorum martyrum pro Domino occisorum, ut ipsa Bethleem, in qua natus est Dominus, primitias martyrum Domino obtulisse videatur.*

5. *Quilibet infantes possunt esse martyres.* — Denique Patres omnes in concionibus,